



**Claudii Fleurii Abbatis Historia Ecclesiastica**

Ab anno Christi 1553. usque ad annum 1557

**Fleury, Claude**

**August. Vind. [u.a.], 1771**

**VD18 9011857X**

§. 100. Legatus postulati sui repulsam indignatus.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-66565](#)

cum Scribam eandem promissionem Sæcul. XVI.  
Montorio Comiti fieri curabant, præ-  
sentibus Rebiba, & Vitellio Cardinali-  
bus. Attamen Comes temporis spa-  
tium sibi indulgeri petebat, ut Ponti-  
ficiis Patrui sui mentem desuper com-  
pertam haberet, postea vero se respon-  
surum ajebat.

A.C.1557.

§. C.

*Legatus postulati sui repulsam  
indignatus.*

Legatus cum in Philippi Regis aula *Pallav. n. II.*  
sua postulata flocci haberi intelli-  
geret, animi sui indignationem in His-  
paniæ Ministros palam exerere cœpe-  
rat, præcipue, cum inter eos Marcum  
Antonium Columnam, & Ascanium  
Corneum præfentes cerneret; hi enim  
nullum non movebant lapidem adver-  
sus Legatum, partim ut injurias ab eo  
acceptas ulciscerentur, partim ut eun-  
dem inducerent, quatenus eos summo  
Pontifici suo Patruo conciliaret, hoc-  
que beneficio deliniti Papæ studiis  
faverent. Ast Cardinalis cum sese omni  
conceptæ spei fructu destitui, rebusque  
suis cuncta adversari conspiceret, pro-  
cul a Bruxellensi aula ad quamdam  
Abbatiam secessit, ut ibidem animi sui  
mœrorem dissiparet. Attamen Philip-  
pus Rex ad placandum Legati animum  
ompem

Sæcul. XVI. omnem impedit operam, necnon quos-  
A.C. 1557. dam ex præcipuis suis Ministris ad eum  
decrevit, qui illum blandis omnino  
verbis, atque amicis suasionibus ad  
Aulam revocarent; verebatur enim  
Rex, ne Legatum ira commotum ma-  
gis irritaret, atque illum eo adigeret,  
ut belli flamas rursus fuscitaret, nec  
non ditiones, quas Rex in Italia possi-  
debat, novis tumultibus involveret.  
Verum Legatus perbenignis precibus  
annuens ad colloquium a Rege admit-  
tebatur, moxque Philippus semetipsum  
excusabat, quod ea omnia, in quæ  
tamen ex animi sui propensione se ferri  
sentiret, postulata eidem concedere  
haud posset, cum se obstrictum cerne-  
ret, ut sententiis suorum Ministrorum,  
sine quorum ductu, ac peritia nondum  
potuisset novella adhuc manu habenas  
regere tam amplæ Monarchiæ, saepius  
cederet, nec raro, cum ob contraria  
studia crebro inter se discrepent, dam-  
num ex eorum æmulationibus tolerare  
cogeretur. Postea Philippus Legatum  
his verbis alloquebatur: interea Ro-  
mam repetere potes, ubi meis Orato-  
ribus, qui cum sint locis propinquio-  
res, hinc rerum propositarum conditio-  
nes melius dispicient, mandaturus sum,  
ut tecum, tuoque fratre agant, &  
vobis gratificari studeant. Eundem  
postea

postea præcipue hortatus est, ut Marco Sæcul. XVI.  
 Antonio Columnæ a Papa veniam im- A.C. 1557.  
 petraret, eoquod plurimæ illi in Italia  
 affinitates essent, ac potentissimos juxta,  
 ac oppido illustres Principes sibi ad-  
 dictos haberet, ut proin, quamdiu se  
 spoliatum cerneret, timendum foret, ne  
 tranquillitati continuo obstataret. Tan-  
 dem Philippus, ut Legato Cardinali  
 ostenderet, quanti illum præ reliquis  
 Caraffensis familiæ Principibus specia-  
 tatem faceret, eidem duodecim millium  
 aureorum pensionem largiebatur. Hac  
 liberalitate Legatus nonnihil placatus  
 Philippo grates rependit, ac præmissa  
 obsequiosa falutatione die undecima  
 Martii anno sequenti Bruxellis Romam  
 profectus est.

## §. CI.

*Alius Legatus in Poli locum a Papa  
 nominatus.*

Dum hæc agebantur, summus Ponti- *Pallav. c. 2.*  
 fex Cardinalem Polum, cuius fa- *num. 5.*  
 ma inquis accusationibus apud eundem *Ciacon.*  
 fuerat graviter læsa, ab Anglica Le- *p. 636. Ray-*  
 gatione dimovere statuit: ast huic Viro *nald hoc,*  
 idoneum, parisque meriti Præfulem sub- *ann. n. 42.*  
 rogare, maximi moliminis rem esse  
 probe cognoverat, quocirca longo tem-  
 pore dubius hærebat, quin vel unicum  
 in Anglia Præfulem reperiret, qui tañti  
 momen-